

9

II do. ex Vomitionibus cum siccis vulgo *Würgen* / tum humidis ubi varia §. 5to tacta, ratione coloris, odoris atque saporis stomachus per vomitum rejicit. III tio ex pertinacissima alvi manifesta adstrictione, cujus *thesi prima* mentionem fecimus, hæc nihil liquoris injiciendi admittit neque generatos exinde vapores, sive flatus emittit rugitus, murmura, bombos in intestinis causantes. IV to. ex singultuosis abdominis concussionibus, quæ ortum ducunt à strictione firma ventriculi, præcipue orificii sinistri & ex hac intercurrente annexione diaphragmatis, quod deinde ad concussorium talem motum incitatur & stimulatur. V to ex tremoribus partium. VI to ex tremore non solum, sed actuali etiam palpitatione cordis. VII mo ex anxietatibus præcordiorum constrictoriis & quasi suffocatoriis. VIII vo ex doloribus abdominis gravissimis, acerbis & contumacibus juxta generalem illam regulam in nostra œconomia animali, ubi spasmus, ibi dolor.

§. XVII.

Ex quibus jam unusquisque nullo negotio percipere atque judicare potest pathemata, quæ malum nostrum concomitantur, maxime esse spasmodica, cui autem hæc denuda vera & simpliciori Spasmorum existentia non satisfaciunt, ille adeat & legat *Sydenhamium l. c. p. 487.* Quandoq; inquit, Spasmos horrendos gignit, epilepsiæ per similes, ventre & præcordiis guttur versus intumescantibus & nixus ita fortes edente ægro, ut licet alias mediocrium tantum fuerit virium, jam omnium adstantium ope vix retineri queat, incondita interim atque inarticulata quædam vociferans & pectus feriens.

§. XVIII.

Cum itaque nullum dubium super sit, quo minus ad

B

cre